

executione; Fidelitatibus vero Vestris pro praeattacti Benigni Suspensorij Mandati nostri relaxatione, adeoque inchoatae Executionis ulterioris continuationis admissione perquam demisse supplicantibus, habita ad praeadductam pijssimae memoriae Genitoris condam nostri desideratissimi circa istiusmodi differentias, modo praevio expeditam Caesareo-Regiam Resolutionem benigna reflexione, in conformitate Eiusdem clementer ordinavimus, ut sub Praesidio Fidelis nostri sincere dilecti, Reverendi, Spectabilis & Magnifici Comitis Emerici Eszterhazy, Episcopi Zagrabiensis & Actualis Intimi Consiliarii nostri, cum interventu subsequentium Membrorum ex Camera nostra Aulica & Cancellaria nostra Regio Hungarica pariter Aulica, pro Commissarijs per Majestatem nostram nominatenus deputatorum, Fidelium quippe nostrorum, Francisci Josephi a Kraph, Joannis Theodori a Weissenbergh, Ladislai Hunyady, Joannis Francisci Peterffy & Josephi Koller, praemisso in negotio, certus autoritativus Congressus isthic Vienne quantocyus eo fine instituitur; quo auditis plene ac perpensis & ponderatis utriusque Partis fundamentis & rationibus, praedeclarata differentia, aut amabili unanimique cointelligentia de aequo & bono complanetur, aut tentata incassum modofata Amicabili compositione, totus rei Status Majestati nostrae ad Clementissimam Resolutionem & Decisionem nostram quam demississime referatur. Dum igitur praerecensita Aulica Commissio nostra Partes in praemissis dissidentes per sufficienter eatenus instructos Plenipotentiarios comparituros in praesentiam sui citasset, ac contra eadem, ex parte quidem praescriptae Camerae Interioris Austriae, Fidelis noster Spectabilis & Magnus Comes Adelmus Antonius a Petaz, Camerarius Noster & Bonorum nostrorum Bucariensium Capitaneus, cum Plenipotentibus Camerae nostrae Aulicae Literis, die 18. Mensis Januarij Anni currentis expeditis, Nomine autem Fidelitatum Vestrarum, Fidelis pariter noster Egregius Adamus Oresky, Comitatus Zagrabiensis Vice-Comes, penes Fidelitatum Vestrarum Plenipotenciales ex Generali earundem Congregatione, Zagrabiae 4. et sequentibus Mensis Decembris diebus Anni praeteriti 1719 celebrata expeditas comparuissent; modofati Plenipotentiarij in diversis eatenus habitis Congressibus, ad effectum exoperandae circa praemissa Amicabilis Compositionis, deductiones Suas pro & contra exhibentes, tandem super eo, qualiternam Transactio modo praevio in Anno 1695 inita (per cujus videlicet Punctum Numero secundum saepefata Interioris Austriae Camera nostra se nimium gravatam fuisse querularetur, Fidelitates autem Vestrae circa alia Ejusdem Puncta suas habuissent considerationes et reflectiones) modificanda, esset, ijdem Plenipotentiarij, et quidem Cameralis modalitate sub Litera A. praesentibus annexa, Fidelitatum Vestrarum autem, uti sub Littera B. accluderetur, finaliter sese declararunt. Quibus ad invicem combinatis compertum fuisset, quoad Punctum

Primum. Nullam superesse difficultatem, ex quo in eadem forma ab utraque Parte projectatum haberetur, quo vero ad

Secundum. Fidelitates Vestras ac memoratam Cameram Interioris Austriae in eo convenisse, ut praespecificata Bona ab ordinarijs quibusvis oneribus deinceps quoque exempta sint & immunia, in supportationem vero communium & Extraordinariorum Regni onerum, ut sunt gratuiti Labores, novorum Confiniorum Annua Exolutio, Praesidiorum Reparatio et Fortificatio, tempore Belli Militum et Salariorum auctio, Tormentorum, omnium denique necessariorum pro Confinijs & Praesidijs, pro circumstantia temporis emergentium & occurrentium